



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum V. Cùm sis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## CAPITULUM V.

## Cum sis.

## PARAPHRASIS.

Dubitabat Episcoporum nonnemo, utrum plura in eadem Ecclesia altaria v.g. & plures Episcopos simul eodem die consecrare posset? Cui dubio respondet de eo quaesitus Pontifex affirmativè, quòd scilicet in eadem Ecclesia plura simul altaria & plures Episcopi (& quidem hi sub eadem missa) consecrari possit. Textus & resolutio est clara, nulla ulteriore indigens notitià, aut explicatione.

## CAPITULUM VI.

## Ligneis.

## PARAPHRASIS.

Quaerebatur ex Pontifice, an nova consecratio Ecclesie, vel altarium necessaria esset, in eo casu, quo parietibus Ecclesie illatis, & in sua integritate permanentibus, tectum v.g. Ecclesie, aut scamna &c. igne combusta fuerint; altaria verò, quamvis modicam in extremitatibus passa essent fracturam, nec mota tamen, nec enormiter fracta juxta dicta in 1. cap. b. t. Cui quaesito respondet Pontifex, in neutro hoc casu, novam aut Ecclesie, aut altarium reconsecrationem necessariam asserens.

## SUMMARIUM.

1. Si parietes alicujus Ecclesie integri subsistant, & illesi (saltem secundum majorem sui partem) etiamsi tectum, scamna, & alia intra illam Ecclesiam ornamenta exusta fuerint, non indiget novà altà consecratione, nisi crassa omnis parietum interior abrasa sit, vel ex incendio ceciderit, in casu Ecclesie prius consecratae.
2. Quid sentiendum, si antiqui parietes

Ttt 3 to-

net ad interius corpus Ecclesie, ab interiore tecto scilicet, usque ad pavimentum illius Ecclesie, & à summa ara usque ad parietem oppositum, ita ut etiam sacella intra talem Ecclesiam instituta, si proprio muro à reliquo Ecclesie corpore non sint juncta, & ad usum divinum deputata, Ecclesie taliter violatae, reconciliatione indigentis, nomine veniant, cum verba *cap. ult. hoc tit.* quibus divina officia in tali Ecclesia suspensa asseruntur, hanc explicationem exigant: non tamen violari talem Ecclesiam per talia (supra tabulatum ejus in tecto; aut infra in cryptis v.g. aut speluncis inferioribus, vel in cameris, ad latus Ecclesie adherentibus, pro rerum Ecclesie custodia deputatis; aut pro ministrorum Ecclesie habitationibus, muro distincto separatis &c. ne in hac violationis materia nimium extendantur verba sacrorum Canonum; & ab eo, quod de cameris contiguis asserit, uti & in *cap. unico in sexto hoc tit.* ad alia transferantur.

¶ Notandum quartò. Violatà taliter Ecclesia, ut in ea celebrari non possit ante reconciliationem, violatum etiam censerì cæmeterium Ecclesie contiguum, ut in hoc sepeliri nemo possit ante reconciliationem, prout expressè statuitur in *cap. unico hoc tit. in sexto.* ita tamen, ut si reconcilietur Ecclesia, specialis etiam cæmeterij reconciliatio necessaria non sit, sed accessorie censeatur cæmeterium reconciliatum, si Ecclesia reconcilietur; cum enim in tali casu, quo cæmeterium contiguum est Ecclesie, accessorium hoc sit Ecclesie, consequenter juxta regulam 46. in sexto sicuti censeatur pollutum, Ecclesia polluta, tanquam accessorium induens naturam & conditiones principalis, ita etiam reconciliatum censeatur, principali reconciliato; de hoc tamen paulò post.

¶ Notandum quintò. Reconciliationem Ecclesie taliter violatae fieri debere per aquam cum vino & cinere benedictam: de hoc tamen reconciliandi modo plura dicentur infra in *cap. aqua. 9. hoc tit.*